



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

223. Quid dicendum ad hoc de iis, qui non initiati presbyterio missas dicunt, & pœnitentium confessiones audiunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

D. N. Jesum Christum vel B. Virginem expressè blasphemaverit; si sacerdos vel clericus fuerit, eo ipso die, quo de ejusmodi delicto fuerit convictus, beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur pro prima vice; pro secunda verò, si ita deliquerit, & convictus fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo privetur, si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio ejus sceleris arguatur & convincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque liberè impetrari, & conferri possint, &c. Quam penam contra blasphemos acris intendit Pius V. in constituto, sua 5. sub dato Calend. Aprilis 1566. ita ut pena illa privationis, qua vi constitutionis Leonis X. erat respectu beneficiorum, & dignitatum, restricta ad casum tertie vicis, incurratur respectu beneficiorum in secunda vice, solaque dignitates tertio lapsui referuntur; Lott. l. 3. q. 28. n. 113. addens n. 114. dubium non esse, quin hæc Pij constitutio sit lata sententiæ; etsi adhibeat hæc verba: *beneficiis ipsis privetur*, quæ aliàs futurum tempus recipiunt; eò quod expressè innovet decretum Concilii Lateran. sub Leone X. in quo decreto dicitur: *eo ipso*: unde verba illa inflectuntur ex subjectæ materiæ naturâ; ita ut sicut verba præsentis temporis, hac ratione nonnunquam minime sint lata sententiæ, ita quandoque verba, quantumcunque in futurum concepta sunt lata sententiæ; unde clericum ipso jure privatum beneficiis tam ob blasphemiam hæreticalem, quam ob blasphemiam non hæreticalem, & utrumque æquiparari hæretico, ait Lott. n. 105. Castrop. tamen loc. cit. ait ex dictis id illa constitutione Leonis X. patere, blasphemum nunquam privari ipso jure beneficiis, quousque hujus criminis declaratoria sententia accedat: quod non negabit Lott. si referatur declaratoria ad executionem seu spoliationem de facto, uti dicit de hæretico.

Questio 220. An, & qualiter sacrilegus privetur beneficiis?

Respondeo: Etsi sacrilegus impediatur consequi beneficium, c. venerabilem. de elect. Paris. l. 4. q. 3. n. 23. Garc. cit. c. 10. n. 174. citans Corraf. Rebuff. &c. sicque infamis & irregularis, c. infames. q. 1. AA. ijdem. Castrop. cit. §. 2. n. 6. non est tamen ipso jure privatus beneficiis, cum nullus sit textus annectens hanc penam cuilibet sacrilegio. Garc. Castrop. ll. cit. sed solum est privatione dignus; & venit privandus juxta c. si quis presbyter. 50. dist. Castrop. loc. cit. Garc. n. 173. citans Rebuff. tit. de mod. amitt. benefic. n. 65. & de pacif. possess. n. 248. aliis 202. Diaz. in pract. c. 87. nu. 2. Porro de sacrilegis in specie ob percussorem vel occisionem Cardinalis, Episcopi, Clerici dictum supra.

Questio 221. Quid hac in parte dicendum de furibus, usurariis, incendiariis, ac similibus?

Respondeo in genere: Propter hæc & similia crimina, dum non sunt de exceptis, regulariter non vacant beneficia ipso jure, sed duntaxat per judicis sententiam, & privationem. Et quidem non nisi, ubi talis pena exprimitur à jure. Tond. p. 1. c. 27. n. 2. citans Rebuff. in pr. de mod.

amitt. à n. 50. & communiter nullum crimen inducit privationem ipso jure, paucis exceptis, de quibus in antecedentibus, Paris. l. 3. q. 16. n. 5. citans Selv. p. 3. q. 2. n. 9. & requiri sententiam declaratoriam in omni crimine magis commune, dicit Paris. ibid. n. 6. citans Bursat. consil. 14. n. 18. v. 1. Eadem habet Paris. l. 7. q. 2. n. 9.: ubi regulariter nullum crimen inducit privationem ipso jure absque declaratione. Gabr. conf. 196. l. 1.

Questio 222. An beneficium incarcerantis clericum, usque dum ei resignet beneficium suum, vacet ipso jure?

Respondeo affirmative: Gonz. gl. 15. n. 81. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 50. citans Vivian. Chok. juxta Clem. multorum. de panis.

Questio 223. Quid dicendum ad hoc de ijs, qui non iniuriati presbyterio missas dicunt, & penitentium confessiones audiunt?

Respondeo: Vi constitutionis Clem. VIII. quæ est illius 18. & quæ is nefarios istiusmodi homines jubet à iudicibus S. inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordiæ indignos à foro Ecclesiastico abjici, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habent, ritè degradatos statim Curie seculari tradi debitis pœnis puniendos; ante hanc degradationem non videtur inducta vacatio beneficii, si quod habent; facta tamen illa degradatione, de illa vacatione non est dubitandum, cum actualis degradatio implicet avulsionem personæ ab altari. Lott. l. 3. q. 31. à n. 16. dicens n. 18. in hoc ampliata esse penam antiquorum canonum, vi quorum tantum suspendebantur, permittà Episcopo potestate super beneficio dispensandi. Neque in hoc locus est expectationi corrigibilitatis, ut patet ex dicta Constitutione. Lott. n. 19. qui etiam subjungit n. 23. pœnas privationis beneficiorum, aliisque usque ad degradationem statutas contra sollicitantes in confessione, vel ejus occasione feminas vel pueros ad turpia vi constitutionis Gregor. XV. quæ est 34. sub dato 30. Aug. 1612. esse remissas arbitrio judicum. Vide de his Lott. à n. 20.

Questio 224. An ob crimen simulationis, dum nimirum quis alium se simulans pro obtinendo beneficio, se ipsum supponit pro alio id etiam ignorantibus examini, ut beneficia obtineat, & sic postmodum cum iis de istis beneficiis tractat, etiam per simoniacam pravitatem, vacent ipso jure omnia beneficia istius simulantis?

Respondeo affirmative; sic enim expressè statuit Paulus IV. in Constitutione sua 33. quæ incipit inter ceteras, edita 16. Nov. 1557. Castrop. cit. §. 8. n. 20. Gonz. gl. 15. n. 89. ad fufum recitans dictam constitutionem Pauli IV. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 59. Lott. l. 3. q. 29. à n. 110. quem vide. Idem esse in eo, qui dum potestatem conferendi habet, adeoque sibi ipsi beneficium conferri nequit, alium suo loco ponit vel substituit, ut hic substitutus ei beneficium conferat; tradit ibidem Lott. n. 111. Item idem est in eo, qui pro seipso impetrat beneficia cum intentione illa mox resignandi in favorem, reservatâ, vel non reservatâ pensione. Lott. ibidem, Gonz. l. cit. n. 90.

Item